Quelle: http://manuscripta.at/?ID=887
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Anno quadragesimo

Notificat magister Johannes de Gmunden quod die 3 mensis februarii scilicet in die
Sancti Blasii episcopi hora 2 et minuto 20mo post meridiem erit coniunctio visibilis luminarium
videlicet Solis et lune in qua erit eclipsis Solis eo existente in 29° minuto 22ti gradus aquarii
Et luna existente in 2to minuto 24ti gradus aquarii Et ei distante a cauda draconis per 9 gradus
et 21 minuta et eclipsabuntur de diametro Solis 8 puncta et 38 minuta quarum principium eclipsis
erit die predicto hora prima et minuto 22 Medium eclipsis erit hora coniunctionis visibilis scilicet
hora 2 et minuto 20 Finis vero eclipsis erit hora 3 et minuto 38 post meridiem Et durabit
eclipsis a principio eiusdem usque ad finem per unam horam et 16 minuta Et erit color eius ruffus
tendens ad glaucedinem / latitudo lune visa in principio eclipsis erit 13 minuta et 43 secunda
In medio eclipsis erit 10 minuta et 28 secunda In fine eclipsis erit 1 minuta et 22 secunda Et semper
septemtrionalis Semidiameter visibilis Solis erit 16 minuta et 20 secunda Sed semidiameter
lune erit 11 minuta 28 secunda Aggregatum vero earum erit 32 minuta et 38 secunda.

Exemplum huius eclipsis habetur in figura subscripta in qua circulus exterior scilicet circulus a b c d
est circulus communis comprehendens diametros Solis et lune Sed circulus interior scilicet f
g h k representat corpus solis Alii vero tres parvi circuli representant lunam Circulus enim cuius
centrum est punctus l representat lunam in principio eclipsis Et circulus cuius centrum est punctus o
representat lunam in fine eclipsis Circulus vero cuius centrum est punctus p representat lunam in medio
eclipsis Et quantum de eo circulo subintrat circulum solis tantum proportionabiliter eclipsabitur de
superficie corporis Solis quo ad visum Et hoc ad meridianum civitatis wiennensis Et linea a e c
representat eclipticam seu transitum solis Sed linea l p o representat transitum lune a principio usque ad
finem eclipsis Et linea l m ostendit latitudinem lune visam in principio eclipsis Et linea o n
latitudinem lune visam in fine eclipsis Et punctus p ostendit latitudinem lune visam in medio
eclipsis Et linea e l ostendit centrum tenebrarum in principio eclipsis Sed linea e o ostendit
centrum tenebrarum in fine eclipsis etc.

Figura eclipsis Solis